

DE AEQVATIONIBVS.

initia finesq; discernentes. Singulis deinde duodenis eius circuli tricenas assignarunt partes, diligenter obseruantes, quæ quibus in partibus, cuius ue qualitatis, aut naturæ essent sidera. Item qui singulorum planetarum in diuersis partibus eius circuli effectus essent.

Hoc modo primum constituto influentiarum circulo (cuius obliquitatem philosophus quoq; affirmat esse causam generationum & corruptionum) cum depræhendissent, postea longo rerum coelestium ac communium usu edocti, diuersos esse stellarum ac signorum effectus in alijs atq; alijs coeli partibus, iisdem prorsus rationibus, monstrante uiam experientia, situs signorum seu translationes partium zodiaci, singulis momentis in ipso coelo distinxerunt. Primum in quadrantes officio horizonis, & circuli magni utrinq; per polos zodiaci ac loci uerticem transeuntis: Deinde singulos quadrantes in ternas duodenas æquales prius constituti influentiarum circuli, per circulos magnos ex polis eiusdem (ut supra) deductos partiti sunt, quas domos cœlestes appellant, sequuti planè & numerum & rationem duodecim signorum, & ad eundem influentiarum circulum omnes obseruationes suas referentes, & decanos, & terminos signorum in illis duodecim locis diligentissime, cum suis ac stellarum in ijs congradientium effectibus, notarunt. Et sicut uidemus eos primum in uniuersum pro signorum naturis definiendis qualitates quatuor elementorum imitatos esse, ita ut primum quidem zodiaci signum igneum constituerint, alterum terreum, tertium aëreum, quartum aquosum: quo etiam ordine ac modo signorum triplicates distributas esse apparet. Sic in his quatuor coeli cardinibus, seu angularibus coeli domicilijs constituendis, eandem prorsus rationem qualitatum primum ingenerere eos sequitos suisse constat. Eo pacto ortuum quidem cardinem, qui nobis solem caloris & siccitatis autorem singulis diebus aduehit, igneum esse, oppositum vero occidentem aquaticum esse, quia nobis Solem aufert, cuius discessum frigiditas & humidæ subsequuntur tenebræ: Medium autem inter utrunc; cardinem (quod Medij coeli culmen appellant) ab orientali quidem parte caliditatem, à cadentiero humiditatem mutuari, ac aëream constitutionem referre senserunt. Huic vero oppositum augulum ad Septentrionem, ab occasu quidem frigiditatem, ab orientali vero parte siccitatem sibi asciscere, atq; terræ naturam seu qualitatem imitari dixerunt ita ut si ab ortu per meridiem, dehinc in cccasum, ab eoq; uersus imum coeli naturas cardinum expendas ac numeres, & ordinem, & qualitates elementorum in ipsis cardinibus agnoscere possis. Atq; huic cardinum distributioni ac descriptioni ipsorum etiam uentorum ab eisdem flantium qualitates respondent, ac suffragantur, ut non inane in tantum speculationem, sed ipsius naturæ quasi suffragium & consensum in hac distributione cardinum sequuti esse videantur. Quin ipsa etiam signa in quotis themate coelesti, quatuor angulos siue cardines occupantia, secundum hanc uiam antiquissimorum sapientum semper qualitates quatuor elementorum referunt, adeo ut in his cardinibus coeli constituendis eruditæ etiam respexerint ad causas generationum & corruptionum, inq; ipso coelo nascendi moriendiq; principia inuestigant. Tantusq; est horum cardinum inter se consensus, ac similitudo præter illā qualitatū diuersitatem, ut si in uno cardine fuerit signum mobile, reliqua etiam tria in alijs cardinibus similiter sint mobilia, si fixum fuerit unius cardinis signum, fixa sint & reliqua necesse est. In hanc sententiam Albumasar Iaphar dictus in ueteri translatione qui fuit post Ptolemaeum annis 694, maioris sui introductorij tractatu sexto, differentia ostendit, inquit: Omnia individua ex quatuor elementis efficiuntur, per significaciones signorum. Nam cum fuerit Ascendens alicuius animati aliquod signorum ex signis zodiaci, inuenies signa significantia quatuor elementa in angulis, ut commisceantur ad inuicem. Verbi gratia: Cum fuerit Ascendens Aries igneus, erit Capricornus terreus in decima domo, & Libra aërea in angulo septimæ, Cancer uero aquaticus